

rumq; diuersitas aspectus Lunæ à priori parum differat, instrumentaq; præcisionem, præter ea quæ sunt capacia magis, non admittant, hoc in loco curiosius inquirere nolui, reperto igitur secundum huius canonis doctrinam tempore pro uisibili copula utar.

¶ Verum locum Lunæ ad coniunctionem uisibilem inquirere.



ADDE minuta diuersitatis aspectus Lunæ in longitudine cum sua duodecima super uerum locum Lunæ uerissimæ coniunctionis diebus non æquatis, & super argumentum uerum Lunæ ad idem tempus repertum, si inter ascendens & locum ueræ coniunctionis plures quàm 90 gradus fuerint, uel subtrahere si fuerint pauciores, & habebis intentum, scilicet uerum locum, & uerum argumentum Lunæ. In proposito exemplo minuta diuersitatis aspectus Lunæ in longitudine, scilicet 4 cum sua duodecima addo uero Lunæ loco, eiusq; argumento æquato, tempore & ueræ diebus nõ æquatis, cum inter ascendens ac locum eclipticum plures sint nonaginta gradibus, & habeo uerum Lunæ locum 5 signorum, 16 graduum, 45 ferè minutorum. Argumentum autem uerum Lunæ 4 signorum, 27 graduum, 37 quasi minutorum.

¶ Argumentum uerum latitudinis Lunæ ad coniunctionem uisibilem inuenire.



MINUTA diuersitatis aspectus Lunæ in longitudine cū sua duodecima, & motu capitis Draconis, extracto in tempore æquiualenti minutis diuersitatis aspectus Lunæ in longitudine addantur pariter ad argumentum uerum latitudinis Lunæ, inuentum ad tempus ueræ coniunctionis diebus non æquatis, si inter ascendens & locum uerissimæ coniunctionis fuerint plures gradus quàm 90, uel subtrahantur, si fuerint pauciores quàm 90, & habebis intentum. Vt diuersitatem aspectus in longitudine cū sua duodecima, & motu Draconis respondentī tempori diuersitatis aspectus Lunæ in longitudine, qui est quasi unius secundi, adijcio argumento uero latitudinis Lunæ tempore & ueræ, nempe 10 grad. 39 ferè minut. & prouenit argumentū uerum latitudinis Lunæ, tempore & uisæ 10 graduum, 42 quasi minutorum.

¶ Latitudinem Lunæ uisibilem ad horam coniunctionis uisibilis cognoscere.



DOne filum centri sup argumentū latitudinis Lunæ uerum iam habitū, & habebis in circulo capitis Draconis latitudinē Lunæ, & uide utrū meridionalis aut septentrionalis fuerit. Vnde septentrionalis est, si argumentū latitudinis Lunæ fuerit minus 6 signis cōmunibus, & si fuerit plus 6 signis est meridionalis, cū latitudinē habitam serua, & diuersitas aspectus Lunæ in latitudine semp est meridionalis in regionibus